



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiae, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa


Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs

Vindalium, 1646

Cap. I. De iure quod est fundamentum: & obiectum iustitiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38850



BREVIS ET

ACCURATUS

TRACTATUS

DE IUSTITIA,
PROPRIE DICTA, ET
Religione seu Iustitia improprie
dicta.

CAPUT I.

*De iure quod est fundamentum &
obiectum Iustitiæ.*

QUOD ius vel sit obiectum
Iustitiæ, vel fundamentum
obiecti virtutis illius, ideo
necessarium est, ut Tracta-
tus de Iustitiâ ab eius ex-
plicatione inchoetur.

Nota 1. ius communiter definiri, po-
testatem legitimam ad obtinendam rem,
de Iustitia, A

2 T R A C T A T V S

vel functionem aliquam, aut quasi functionem, cuius violatio iniuriam constituat. Ab alijs autem definitur, potestas quædam proxima, vel remota quæ supposito rationis usu, est ratio aliquid pro arbitrio agendi, vel non agendi, conuenienter naturæ rationali.

Nota 2. Tripliciter diuidi posse ius sic acceptum, 1. subiectiuè, siue ex parte subiecti, 2. effectiuè id est ex parte efficientis, 3. obiectiuè seu ex parte obiecti. Subiectiuè ius diuiditur in increatum & creatum, 2. effectiuè diuiditur in ius naturale & positium. Positium autem in Diuinum & humanum. Humanum, in Ecclesiasticum, quod Canonicum dicitur, & Politicum seu Sæculare. Politicum vero in ius gentium, & ius Reipublicæ vel Regni, quod ius ciuile dici potest.

CONCLUSIO I. Ius naturale illud est, quod ex sola rei naturâ originem ducit, vt est ius tuendi vitam aduersus inuasorem iniustum. Ius vero positium illud est quod oritur ex liberâ alicuius personæ constitutione.

CONCLUSIO II. Ius diuinum est id, quod efficienter procedit a liberâ Dei voluntate, vt ius conficiendi sacramenta Ecclesiæ conuenientia, ius vero humanum est id quod à liberâ hominum

DE IUSTITIA. CAP. I. 3

constitutione originem ducit; vt ius præ-
scriptionis, seu præscribendi rem aliquam
certo tempore à lege præstituto.

CONCLUSIO. III. Ius Eccle-
siasticum seu Canonicum est id quod li-
berè ab Ecclesiâ constitutum est vt ha-
bente supernaturalem potestatem sibi à
Deo concessam; vg. Ius transeundi ad
Religionem ante consummationem Ma-
trimonii contracti. Ius vero politicum
seu sæculare est id quod liberè ab homi-
nibus statutum est vt habentibus potesta-
tem & auctoritatem intra terminos or-
dinis naturalis contentam.

CONCLUSIO IV. Ius gentium
est id quod orbis initio ab omnibus gen-
tibus, vel primis parentibus constitutum
passim seruatur. Ius verò Regni seu Rei-
publicæ, est id quod ab vno regno, vel
republicâ est conditum, ideoque non ab
omnibus sed ab aliquibus tantum genti-
bus obseruatur.

CONCLUSIO V. Ius in re, quod
respicit rem deuinctam ei in quo ipsum
est ius; qua de causâ, actio illi in rem
ipsam datur, quâ repeti possit, vbi-
cunque demum fuerit, & à quocunque tandem
retineatur.

Ius vero ad rem est, quod rem ipsam
vt deuinctam non respicit, sed personam

4 TRACTATUS

etiam quæ rem non habet, in quam solum
proinde actio datur, v.g. vendidit mihi
Titius rem quampiam, & ante eius tra-
ditionem mihi faciendam eandem rem
vt putâ equum alteri Sempronio nimi-
rum vendidit & tradidit ac proinde eius
dominium in illum transtulit, non datur
mihi primo emptori actio in Sempro-
nium secundum emptorem, qui rem illam
possidet vt suam; sed tantum in vendi-
torem eius, cuius solius est mihi satisfac-
cere pro iniuria & damno; si tamen ha-
berem ius in illa re mihi venditâ, vt ha-
berem si per realem traditionem eius
dominium obtinuissem, possem de repe-
tendis agere in iudicio contra Sempro-
nium secundum emptorem à quo res illa
possidetur, & contra quemcumque penes
quem esset, vt ea mihi restitueretur, quia
scilicet ipsa in individuo mihi tunc
esset obstricta.